

danum ingressus stellam, quæ duarum inferiorum quintæ magnitudinis à Tychone sequens vocatur, longitudine hoc anno 7 gr. 43 min. Π latitudine 29 gr. 56 min. A corpore suo planè occultasse videbatur, ita ut postquam anxie primum stellam hæc quæ amissam quæsierim, intervallo semisis horarii & quod excedit, illam demum radiis Cometæ sensim ac sensim liberatam, prope limbum Cometæ inferiorem sinistrorsum iterum conspexerim.

Caudam hæc vice projiciebat à se longissimam, ita ut extremitate suâ mediam in Cingulo Orionis stellam attingeret, ad gradus plusquam decem.

Obscurior tamen circa finem erat & angustior, quàm circa principium. Caput idem, quod heri conspiciebatur, nisi quod in medietate fortiori luce strinxerit oculos aspicientium.

CAPUT VI.

DE LOCO TERTII DIEI.

AB hæc stellâ trajiciens Eridanum Cometa progressus est secundum ductum circuli semel inchoati è meridionali hemisphærio in septentrionale. Quo facto vespertino tempore horâ octavâ diei 11. Decemb. prope Clypeum Orionis sese conspiciendum nobis exhibuit, ita quidem, ut visu judice triangulum æquilaterum cum septimâ & octavâ clypei efformaret stellâ cujus verticem Tauro dextrorsum objectum ipse Cometa constituit. Quibus positis jam Cometæ longitudinem & latitudinem ope Trigonometriæ enucleabimus hoc modo:

In sequente schemate sit

A Polus Eclipticæ australis.

B octava stella clypei long 7 gr. 42 min. Π lat. 20 gr. 2 min.

C septima clypei stella long 7 gr. 17 min. Π lat. 16 gr. 50 min.

D Cometa.